DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA,

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIII. MARTII.

M. CLAVDIO PERRAVLT, Doctore Medico, Præside.

An diuturni affectus loci mutatione curantur?

MORBOS internos vt infrequentes, diuturnos quaſi inſanabiles, raro attigit antiquitas: illos modeſtia forſan hominum atque frugalitas, hos certe tales fecit opinio. Acuti enim citius non vero facilius, nec fortunâ magis aut natura fauente curantur: ſed temerariô vulgi præjudicio, ex citâ lætâque naturæ victoria, vim illius & conatum æſtimantis, fit vt vbi valide obſiſtendo & mature cunctando reſtituit rem, otiô torpere illa & majore tunc artis auxilio opus habere ſtolide putetur. Hinc medico morborum impetum & furorem per majora præſidia ſtrenue coercere valenti, parum æquam videas famam: ei vero claram æternamque gloriam & peritiæ nomen quæri, qui lentam eorum ſegnitiem longâ ſuperat patientiâ, & internæ ac ſummæ medicatrici aſſidens, ſolertiæ non magis quam tolerantiæ, curæ quam tædij, laboris quam temporis impendit: dum ſua interim redit partibus & humoribus temperies, εὔροια, cæteraque naturalia bona, remediorum varietate, non violentiâ, vt in acutis accerſenda.

ACVTIS morbis non tam motus celeritas quam ſymptomatum vehementia nomen imponit; plerumque tamen breuiores eſſe ſolent, ſicut longi minus graues: dum aut majores concedunt inducias, aut ſegnius aut minore periculo graſſantur; an certiore etiam ſalutis aut mortis prædictione? Securiore ſaltem ſorte medentium, quorum cognitionem nec ita præueniunt feſtinatione, nec prouidentiam mutabilitate, nec remedia incommoditate partium & humorum. Nam ſicut munitas quaſque vitæ ſedes immanis acutorum ferocitas, humoribus ad facinus paratiſſimis adeo adoritur, vt validiora naturæ præſidia ſuis in arcibus ſtatim opprimat, ita in diuturnis ignaui & tardiores ſucci concitantur in partes frigidas, laxas, exangues & nullâ magna officij neceſſitate inſignes: quibus vel plurimum labefactatis raro deſunt principum membrorum auxilia, quorum ex robore, quod infirmarum partium plerumque detrimento accreuit, & ipſæ viciſſim habent vnde damna tandem illa reparare valeant: cui operi promouendo non ita valida, maximâ tamen & non vulgari arte adminiſtranda remedia ſufficiunt: non aliter quàm fixas & rapidis turbinibus immotas moles, breuiori vecte conuellit perita manus artificis.

VT multis nominibus præcipites affectus ex naturâ ſuâ ſæuiores ſint, nonnulla tamen tardis accidunt quæ grauiſſimos illos efficiant, tolerabiles aliàs eorum labores per longum, aliquando per omne, imo etiam vltra ipſum vitæ tempus protrahendo. Adeo medici ægrotis, aut hi ſibi nimis indulgentes, circumſtantium ex aëris aut loci aduerſa qualitate cauſarum conſpiratione incauti non minus opprimuntur quàm inteſtinis malis. Cùm libidinoſa & intemperans mollities, quæ diuturnorum, vt durior corporis & animi labor acutorum parens eſt, eâdem & eos alit luxurie, eâdem ignauiâ faſtidium auget remediorum, ac demum contemptum infert, ex lento & non aſpectabili profectu, falsâque perſuatione iis in morbis medentes cæcutire, quos ſtatim non ſanauerint: quaſi non frequentiùs immedicabiles quàm ignoti affectus occurrant. Nam quid prodeſt craſſos, inertes, crudos in partibus, frigore laxitate, ocio, aut prauo vſu infirmis, actionem lædentes humores acute cernere? Quid facit ad curationis celeritatem? Quin eò magis tunc prudens medicus à temerariâ illâ, quæ immaturum fructum excutiat, ſoluendumve nodum ſecet aut abrumpat, feſtinatione cauebit, vt ſtudium imprimis collocet in viſcerum conſeruando robore, ad quod præcipue validiorum catharticorum fulmina allidunt intactis plerumque vitioſis humoribus, qui paulò leuiorum mollioribus auris præſertim ac tepidis imbribus reſoluuntur. Ac propterea humorum maturationem eorumque euacuationem inſenſibilem potiſſimum ac ſenſim promouere tentabit.

MAGNA in morbos omnes vis eſt loci quo circunfundimur, maxima in diuturnos illius cui inſiſtimus, citra quem ambiens nullâ inſigniori virtute polleat quàm caloris aut frigoris, quorum cita viciſſitudo de acutis quidem decernit, at diuturnorum arctis & implexis nexibus per ſeptenos menſium aut annorum circuitus ſoluendis, vix-dum ſufficit. Spem non adeo longam fert loci quem incolimus efficacitas quæ ſemper ſubeſt, aëremque non ſegnius afficit, qui non modo ὡς τῇ μήνῃ βάθελον, ſyderum influxus locis omnibus communes, ſed ὡς τῆς γῆς ὄχημα expreſſas rerum omnium vires ſuſcipit ab exhalationibus, quæ vnicuique regioni propriæ ſunt, ob infinitam prope varietatem genij ſingulis peculiaris; pro ventorum afflatu, montium ſyluarumque objectu diuerſo, tum & aliâ atque aliâ ſoli, aquarum, foſſilium, plantarum naturâ; quorum omnium cùm vſus neceſſarius eſt, tum & expirationes aſſiduæ, tenuitate benignitate contrarietate, partes, humores ſenſim afficiendo & immutando, variam hominum indolem vt & valetudinem, præſertim vero longas ægritudines, quales ſunt endemiæ, faciunt fouent: dum cauſam præbent fixam permanentem, nullo ſuperuenientis caloris aut frigoris auxilio, ſed ſolâ fugâ ſuperabilem.

MVTATIONEM res omnes ſubeunt neceſſitate non majore quam voluptate. Noua ſequi etiam praua, pro innata melioris, abſque mutatione non aſſequendi, cupiditate ſemper juuat, plerumque vero & prodeſt, præſertim miſeris quos plura manent futura bona. Eam ardentibus votis, morbo diuturno impediti, ſed irritis expetunt, ſi nullus eis adeſt Aſclepius, nec proficit ad Thermas, frictiones, lac, chalybem, ignem, cæteraque profligatæ valetudinis ſubſidia confugere, in eorum vſu perſeuerare, eum mutare, ποικιλίῳ ægris tunc juncundam juxta & vtilem ſectando. Nempe per hæc omnia medicus fruſtra pugnat aduerſus morbum, & ei ſe præbet ἀντίνοον, ſi contigerit locum fauere & ὁμονοεῖν τῷ πάθει. Non longa dies vnquam, non piger annus inſitum ab ortu mundi eum nocendi animum immutabunt, & prius quam talis vincatur contumacia, ægrum conſtantia vireſque deficient. Quid reſtat? Niſi cauſas inimicas & non inſequuturas fugere, amicas ſequi ægrum opperientes. Quoties enim proſcriptis fœlix extitit exilium? Quam multis votiuæ ſeruitutis & electi carceris dulcedine, imperantibus medicis, per aliquod tempus carere vtile fuit, ſanitatis conſequutione? Quid ita? melior corporis temperies coctioque humorum, lento ætatis aut tempeſtatum progreſſu forſan acceſſura expectatur? Si longioris illorum moræ tædeat, loci mutatione obuiam ire licet.



Ergo diuturni affectus loci mutatione curantur.

Aſſerebat Lutetiæ PETRVS LEGIER Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LXIV.